

nibus Deum fidelem invenimus, in ultimo deficiet et fallit? « Dominus curam habebit mei. Adjutor meus et protector meus tu es, Deus meus, ne tardaveris. Nisi minorarentur dies illi, nulla caro perduraret: sed propter electos breviabuntur<sup>1</sup>. » Dies illi erunt tribulationis, sed non tam longi quam sperantur. Cito illi transibunt; requies veniens non transibit. Quanquam longum, ferri debuit malum pro infinito bono.

### ENARRATIO

#### IN PSALMUM XL.

##### Sermo ad plebem<sup>2</sup>.

I. QUONIAM solemnis dies Martyrum illuxit, propter gloriam passionis Christi Imperatoris Martyrum, qui sibi non pepercit, militibus imperans pugnam, sed prior pugnavit, prior yicit, ut pugnantes exemplo suo hortaretur, et majestate sua adjuvaret, et promissione coronaret: audiamus aliquid in isto Psalmo quod pertineat ad ejus passionem. Commendamus autem sæpius, nec nos piget iterare quod vobis utile est retinere, Dominum nostrum Jesum Christum plerumque loqui ex se, id est, ex persona sua quod est caput nostrum; plerumque ex persona corporis sui, quod sumus nos et Ecclesia ejus; sed ita quasi ex unius hominis ore sonare verba, ut intelligamus caput et corpus in unitate integritatis consistere, nec separari ab invicem; tanquam conjugium illud, de quo dictum est:

<sup>1</sup> Matth. xxiv, 22. — <sup>2</sup> Hic Sermo ad plebem in Martyrum festivitate habitus.

« Erunt duo in carne una<sup>1</sup>. » Si ergo agnoscimus duos in carne una, agnoscamus duos in voce una. Primo quod legenti respondentem cantavimus, quanquam de medio Psalmo sit, hinc tamen sermonis ducamus exordium. « Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, et peribit nomen ejus<sup>2</sup>. » Persona est hæc Domini nostri Jesu Christi: sed videte, si non ibi intelliguntur et membra. Dictum est et hoc cum ipse Dominus noster hic in terra in carne ambularet. Cum enim viderent multitudinem sequi auctoritatem ejus, et divinitatem et majestatem miraculis præsentatam; cum hoc viderent Judæi, de quibus ipse Dominus similitudinem posuit, quia dixerunt: « Hic est hæres, venite occidamus eum, et nostra erit hæreditas<sup>3</sup>: » dixerunt apud semetipsos, id est, inter se, unde pontificis illius Caiphæ vox est: « Videtis quod turba multa eum sequitur, et sæculum post illum abiit: si dimiserimus eum vivere, venient Romani, et tollent nobis et locum et gentem. Expediit ut unus moriatur homo, quam tota gens pereat. » Evangelista autem verba nescientis quid diceret, exposuit nobis, et ait: « Hoc autem non a se dixit, sed cum esset pontifex prophetavit, quia oportebat Jesum mori pro populo et gente<sup>4</sup>. » Tamen illi cum viderent populum postillum ire, dixerunt: « Quando morietur, et peribit nomen ejus<sup>5</sup>. » Id est, cum occiderimus eum, jam nomen ejus non erit in terra, nec seducet aliquos mortuus; sed ipsa ejus interfectione intelligent homines, quia hominem sequebantur, quia non erat in eo spes salutis; et deserent nomen ejus, et non erit. Mortuus est, et non periit nomen ejus, sed seminatum est nomen ejus: mortuus est, sed granum fuit, quo mortificato seges continuo exurgeret<sup>6</sup>. Glorificato ergo Domino

<sup>1</sup> Gen. ii, 24, et Ephes. v, 31. — <sup>2</sup> Psal. xl, 6. — <sup>3</sup> Matth. xxi, 38. — <sup>4</sup> Joan. xi, 47-51. — <sup>5</sup> Psal. xl, 6. — <sup>6</sup> Joan. xii, 25.



nostro Jesu Christo, cœperunt multo magis multoque numerosius credere in illum; et cœperunt membra ejus audire quod caput audiebat. Jam ergo Domino nostro Jesu Christo in cœlo constituto, et ipso in nobis in terra laborante, dixerunt adhuc inimici ejus: « Quando morietur, » et peribit nomen ejus. » Hinc enim persecutiones diabolus in Ecclesia concitavit ad perdendum nomen Christi. Nisi forte putatis, fratres, quia illi Pagani quando sæviabant in Christianos, non hoc sibi dicebant, delere nomen Christi de terra. Ut moreretur iterum Christus non in capite, sed in corpore suo, occisi sunt et Martyres. Ad multiplicandam Ecclesiam valuit sanctus sanguis effusus, seminationi accessit et mors Martyrum. « Pretiosa in conspectu Domini mors justorum ejus<sup>1</sup>. » Multiplicati sunt magis magisque Christiani, et non est impletum quod dixerunt inimici: « Quando morietur, et peribit nomen » ejus. » Adhuc et modo dicitur. Sedent Pagani, et computant sibi annos, audiunt fanaticos suos dicentes: Aliquando Christiani non erunt (12), et idola illa coli habent, quemadmodum antea colebantur. Adhuc dicunt: « Quando morietur, et peribit nomen ejus. » Bis victi, vel tertio sapite: mortuus est Christus, non periit nomen ejus; mortui sunt Martyres, multiplicata est magis Ecclesia, crescit per omnes gentes nomen Christi: qui de morte sua et de resurrectione sua prædixit, qui de mortibus Martyrum suorum et de corona prædixit, ipse et de Ecclesia sua futura prædixit: si verum dixit bis, tertio mentitus est? Vanum est ergo quod creditis contra illum: melius est ut credatis in illum, ut « Intelligatis super egenum et pauperem<sup>2</sup>: Quoniam pauper factus est, cum » dives esset, ut ipsius, inquit, paupertate vos ditaremini<sup>3</sup>. » Nunc autem quia pauper factus est, contemni-

<sup>1</sup> Psal. cxv, 15. — <sup>2</sup> Id. xl, 2. — <sup>3</sup> 2 Cor. vii, 9.

tur, et dicitur: Homo erat. Quid erat? Mortuus est, crucifixus est: hominem colitis, in hominem spem habetis, mortuum adoratis. Falleris. Intellige super egenum et pauperem, ut illius paupertate dives efficiaris. Quid est, Intellige super egenum et pauperem? Ut ipsum Christum egenum et pauperem accipias, dicentem in alio Psalmo, « Ego autem egenus et pauper sum, Dominus curam habet mei<sup>1</sup>. » Quid est intelligere super egenum et pauperem? « Quia semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo<sup>2</sup>: » dives apud Patrem, et pauper apud nos; dives in cœlo, pauper in terra; dives Deus, pauper homo. Hoc te ergo turbat, quod hominem vides, quod carnem intueris, quod mortem respicis, quod crucem irrides? hoc te turbat? Intellige super egenum et pauperem. Quid est hoc? Intellige, quia ubi tibi exposita est infirmitas, ibi latet Divinitas. Dives, quia sic est: pauper, quia jam tu sic eras. Sed tamen paupertas ipsius, divitiæ nostræ sunt: quomodo infirmitas ipsius, fortitudo nostra est; quomodo stultum ipsius, sapientia nostra est; quomodo mortalitas ipsius, immortalitas nostra est<sup>3</sup>. Quid sit pauper, attende: non eum ex aliorum paupertate metiaris. Implere venit pauperes, qui pauper effectus est. Propterea aperi sinum fidei: suscipe pauperem, ne pauper remaneas.

II. « Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, » in die mala liberabit eum Dominus<sup>4</sup>. » Veniet enim dies mala: velis nolis, veniet; dies judicii aderit, mala dies, si non intellexeris super egenum et pauperem. Quod enim modo non vis credere, manifestum erit in fine. Sed non fugies, cum fuerit manifestum; quia non credis cum est occultum. Invitaris ut quod non vides credas, ne cum

<sup>1</sup> Psal. xxxix, 18. — <sup>2</sup> Philip. ii, 7. — <sup>3</sup> 1 Cor. i, 30. — <sup>4</sup> Psal. xl, 2.



videris erubescas. Intellige ergo super egenum et pauperem : id est, super Christum : intellige in eo occultas divitias, quem pauperem vides. In eo sunt enim omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi<sup>1</sup>. Hinc enim te in die mala liberabit, ex eo quod Deus est : ex eo autem quod homo est, et illud quod in illo humanum erat resuscitavit, et in melius convertit, in cœlum levavit. Ille autem qui Deus est, qui unam personam habere in homine et cum homine voluit, nec decrescere, nec crescere potuit, nec mori nec resurgere. Mortuus est ex infirmitate hominis, cæterum Deus non moritur. Nam quod Verbum Dei non moritur, ne mireris, quando non moritur anima in Martyre. Modo non audiebamus ipsum Dominum dicentem : « Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem » non possunt occidere<sup>2</sup>. » Ergo morientibus Martyribus animæ Martyrum mortuæ non sunt, et moriente Christo moriturum erat Verbum? Utique Verbum Dei multo amplius est quam anima hominis; quia anima hominis facta est a Deo; et si facta est a Deo, per Verbum facta est : quia omnia per ipsum facta sunt<sup>3</sup>. Ergo nec moritur Verbum, cum non moriatur anima facta per Verbum. Sed quomodo recte dicimus : Mortuus est homo, etsi anima ipsius non moriatur : sic recte dicimus : Mortuus est Christus, etsi Divinitas ejus non moriatur. Mortuus unde? Quia egenus et pauper. Non te perstringat mors ipsius, et avertat te a contuenda Divinitate. « Beatus qui intelligit » super egenum et pauperem. » Respice et pauperes, egentes, esurientes et sitientes, peregrinantes, nudos, ægrotos, in carcere constitutos : intellige et super talem pauperem, quia et si super talem intelligis, super illum intelligis, qui dixit : « Esurivi, sitivi, nudus, peregrinus,

<sup>1</sup> Coloss. II, 3. — <sup>2</sup> Matth. X, 28. — <sup>3</sup> Joan. I, 3.

» æger, in carcere fui<sup>1</sup>. » Ita in die maligna eruet te Dominus.

III. Et vide beatitudinem tuam. « Dominus conservet eum<sup>2</sup>. » Propheta bene optat homini intelligenti super egenum et pauperem. Ista optatio promissio est : securi expectent qui hoc agunt. « Dominus conservet eum, et » vivificet eum. » Quid est, « Conservet eum, et vivificet eum? » Quo pertinet, « Vivificet eum? » Ad futuram vitam. Vivificatur enim qui mortuus erat. Numquid autem potest mortuus intelligere super egenum et pauperem? Sed vivificationem nobis illam promittit, de qua dicit Apostolus : « Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam : si » autem qui suscitavit Christum a mortuis, habitabit in » vobis, qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit et » mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum » ejus in vobis<sup>3</sup>. » Hæc est ergo vivificatio quæ promittitur intelligenti super egenum et pauperem. Sed quia dicit Apostolus ad Timotheum : « Promissionem habens vitæ » præsentis et futuræ<sup>4</sup>, » ne putarent illi qui intelligunt super egenum et pauperem, recipiendos quidem se esse in cœlum, sed negligi in terra; et non sperarent nisi quod futurum est in æternum, quod autem ad præsens est putarent Deum non curare in sanctis et fidelibus suis : ubi dixit quod maxime expectare debemus : « Dominus con- » servet eum, et vivificet eum : » respexit ad istam vitam : « Et beatum, inquit, faciat eum in terra. » Erige ergo oculos in hæc promissa christiana fide : non te deserit Deus in terra, et aliquid promittit in cœlo. Multi enim mali Christiani inspectores ephemeridarum, et inquisitores atque observatores temporum et dierum, cum cœ-

<sup>1</sup> Matth. XXV, 35. — <sup>2</sup> Psal. XL, 3. — <sup>3</sup> Rom. VIII, 10, 11. — <sup>4</sup> I Tim. IV, 8.



perint ibi objurgari a nobis, vel a quibusdam bonis melioribusque Christianis, quare ista faciant, respondent: Hæc propter tempus hoc necessaria sunt, Christiani autem sumus propter vitam æternam: propterea in Christum credidimus, ut det nobis vitam æternam; nam vita ista temporalis, in qua versamur, ad curam ipsius non pertinet. Relinquitur, ut hoc breviter dicant, ut propter vitam æternam Deus, et propter vitam præsentem diabolus colatur. Respondet illis ipse Christus: « Non potestis duobus » dominis servire<sup>1</sup>. » Et alium colis propter id quod expectas in cœlo, et alium colis propter id quod expectas in terra: quanto melius unum colis, qui fecit cœlum et terram? Qui curavit ut esset terra, imaginem suam negligit in terra? Ergo, « Conservet eum Dominus, et vivificet eum, » intelligentem super egenum et pauperem. Insuper quamvis in æternum vivificet, « Beatum faciat eum in terra. »

IV. « Et non tradat eum in manus inimici ejus<sup>2</sup>. » Inimicus ille diabolus est. Nemo attendat inimicum suum hominem, quando audit verba ista. Jam forte de vicino suo cogitabat, de illo qui cum illo litem in foro habebat, de illo qui illi vult auferre possessionem, qui illum vult premere ut vendat illi domum suam. Nolite ista cogitare: sed illum inimicum cogitate, de quo dicit Dominus: « Inimicus homo hoc fecit<sup>3</sup>. » Ipse est enim qui suggerit ut propter res terrenas colatur; quia non potest evertere nomen christianum inimicus iste: vidit enim se victum fama et laudibus Christi, vidit in eo quod occidit Martyres Christi, illos coronatos, et se triumphatum, et cœpit non posse hoc persuadere hominibus, quod nihil sit Christus: et quia vituperando Christum, jam difficile decipit; laudando Christum, conatur decipere. Antea quid dicebat? Quem colitis? Judæum mortuum, crucifixum, nullius

<sup>1</sup> Matth. vi, 24. — <sup>2</sup> Psal. xl, 3. — <sup>3</sup> Matth. xiii, 28.

momenti hominem, qui non potuit a se mortem depellere. Ubi in nomine ejus vidit currere genus humanum, vidit quia in nomine crucifixi templa subvertuntur, idola franguntur, sacrificia extinguuntur: et hæc omnia prædicta in Prophetis attenduntur ab hominibus, admiratione stupentibus, et claudentibus jam cor adversus vituperationem Christi; induit se laudibus Christi, et cœpit a fide alio modo detertere. Magna lex est christiana, potens illa lex, divina, ineffabilis: sed quis illam implet? In nomine Salvatoris nostri conculcate leonem et draconem<sup>1</sup>. Aperte reprehendendo fremebat leo, astute laudando insidiatur draco. Veniant ad fidem qui dubitabant: non dicant: Quis hoc implet? Si de viribus suis præsumunt, non implebunt. Præsumendo de gratia Dei credant, præsumendo veniant, adjuvandi veniant, non judicandi. Vivunt omnes fideles in nomine Christi, quisque pro gradu suo implens præcepta Christi, sive conjuges, sive cœlibes et virgines, vivunt quantum donat Dominus eis vivere; neque de suis viribus præsumunt, sed noverunt se in illo debere gloriari. « Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis<sup>2</sup>? » Noli dicere mihi: Quis illud implet? Ille in me implet, qui venit dives ad pauperem: pauper quidem ad pauperem, sed plenus ad inanem. Hæc cogitans, quia intelligit super egenum et pauperem, et non aspernatur paupertatem Christi, intelligit divitias Christi, fit beatus in terra; et non traditur in manus inimici sui, volentis ei persuadere, ut Deus colatur propter cœlestia, diabolus colatur propter terrena. « Non tradat eum in manus inimici ejus. »

V. « Dominus opem ferat illi<sup>3</sup>. » Sed ubi? Forte in cœlo, forte in vita æterna, ut restet colendum diabolum propter inopiam terrenam, propter necessitates hujus vi-

<sup>1</sup> Psal. xc, 13. — <sup>2</sup> 1 Cor. iv, 7. — <sup>3</sup> Psal. xl, 4.



tæ? Absit. Promissionem habes vitæ præsentis et futuræ<sup>1</sup>. Ille ad te venit in terram, per quem factum est cœlum et terra. Denique attende quid dicat: « Dominus opem » ferat illi super lectum doloris ejus. » Lectus doloris infirmitas est carnis. Ne dicas: Non possum tenere, et portare, et frenare carnem meam: adjuværis ut possis. Dominus opem ferat tibi super lectum doloris tui. Portabat te lectus, non tu portabas lectum; sed paralyticus intus eras: adest qui dicat tibi: « Tolle grabatum tuum, et vade » in domum tuam<sup>2</sup>. Dominus opem ferat illi super lectum » doloris ejus. » Et ad ipsum Dominum convertit se, tanquam quæreretur: Quare ergo cum opem ferat nobis Deus, tanta mala patimur in ista vita, tanta scandala, tantos labores, tantam inquietudinem carnis et sæculi? Convertit se ad Deum, et tanquam consilium medicinæ ejus nobis exponens, « Totum stratum ejus, inquit, vertisti in infirmitate ejus. » Quid est, « Totum stratum ejus vertisti » in infirmitate ejus? » Per stratum intelligitur aliquid terrenum. Omnis anima infirma in hac vita quærit sibi aliquid terrenum ubi requiescat; quoniam intentionem laboris et mentis extantæ in Deum difficile potest perpetuo tolerare: aliquid sibi in terra conquirat ubi requiescat, et quodam modo pausatione quadam recumbat, veluti sunt ista quæ diligunt et innocentes. Neque enim de cupiditatibus malorum nunc loquendum est, quia multi acquiescunt in theatris, multi acquiescunt in circo, in amphitheatro, multi acquiescunt in alea, multi in luxuria popinarum, multi in libidine adulteriorum, multi in violentiis rapinarum, multi in dolo et insidiis fraudium: acquiescunt in his omnibus homines. Quid est, acquiescunt? Delectantur illic. Sed removeamus hæc omnia, ad innocentem hominem veniamus: acquiescit in domo

<sup>1</sup> 1 Tim. iv, 8. — <sup>2</sup> Marc. ii, 11.

sua, in familia sua, in conjuge, in filiis, in paupertate, in prædiolo suo, in novella manibus suis consita, in ædificio aliquo suo studio fabricato: acquiescunt innocentes in his. Sed tamen Deus volens nos amorem non habere nisi vitæ æternæ, et istis velut innocentibus delectationibus miscet amaritudines; ut et in his patiamur tribulationes, et universum stratum nostrum vertit in infirmitate nostra. « Universum stratum ejus vertisti in infirmitate ejus. » Non ergo conqueratur, quando in his quæ innocenter habet, patitur aliquas tribulationes. Docetur amare meliora per amaritudinem inferiorum: ne viator tendens ad patriam, stabulum amet pro domo sua. « Universum stratum ejus vertisti in infirmitate ejus. »

VI. Sed quare ista? « Quia flagellat omnem filium quem » recipit<sup>1</sup>. » Quare ista? Quia peccanti homini dictum est: « In labore vultus tui edes panem tuum<sup>2</sup>. » Ergo quia correptiones istas, in quibus universum stratum nostrum vertitur in infirmitate nostra, agnoscere debet homo propter peccata se pati: convertat se, et dicat quod sequitur: « Ego dixi: Domine, miserere mei, sana animam » meam, quoniam peccavi tibi<sup>3</sup>. » O Domine, in tribulationibus me exerce: flagellandum judicas omnem filium quem recepturus es, qui nec Unico pepercisti. Ille quidem sine peccato flagellatus est: ego autem dico: « Miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi. » Si secatus est qui putredinem non habebat, si medicina ipsa nostra ignem medicinale non respuit; impatienter ferre debemus urentem medicum et secantem, id est, omnibus tribulationibus nos exercentem, et a peccato sanantem? Plane committamus nos medici manui: non enim errat, ut sanum pro putri secet: novit quod inspicit, novit vitium, quia ipse fecit naturam; quid ipse condidit,

<sup>1</sup> Hebr. xii, 6. — <sup>2</sup> Gen. iii, 19. — <sup>3</sup> Psal. xl, 5.